



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Aphorismi Confessariorvm Ex Doctorvm sententijs collecti

Sá, Manuel de

Coloniae, 1610

Matrimonium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41645

MARTYRIVM.

407

Rei confessionem in iudicio, & quæ testibus nequit probari.

5 Publicum dicitur non solum quod notorium est, sed etiam quod coram Iudice, aut Notario actum.

MARTYRIVM.

1 **M**artyr dicitur etiam qui pro virtute interficitur. * *Syl. vers. Martyrium.*

2 Martyrem tenetur eripere qui potest, nisi ipse id recuset.

3 Proles occisa in utero matris saluatur illo martyrio.

* *Rich. 4. d. q. 3. art. 2. Sot. d. 5. artic. 11. Suarez tit. 3. d. 29. sect. 1. Tol. l. 2. c. 22. num. 2.* excellen-
tior baptismo aquæ: filijs enim utero clausis non opitulatur baptis-
mus sanguinis.

*Matrimonium, vide Benedictio, Debitum
coniugale, Dispensatio, Episcopus,
Metus, Parochus.*

1 **M**atrimonium contractum non præ-
sente Parocho, aut Sacerdote de illius
vel Episcopi licentia, nullum est. *Ex Concil.
Trid. sess. 24. cap. de reform. nec facit sponso-
lia. Ex Congreg.* Intellige hæc locum habe-
re solum post triginta dies à publicatione
decreti Concil. Trid. in illa Parochia. Suffi-
ciunt

ciunt verò quicumque testes, modo intelligant quid fiat, & sufficit Parochus viri, vel foeminae, etiam in aliena Dioecesi, & etiam si non sit ipse Sacerdos, & etiam si praesens contradicat, aut vi detineatur, aut Episcopus prohibuisset, modo intelligat, quod fit, scilicet videndo, vel audiendo: item sufficit Coadiutor Vicarij perpetui, vel Parochi in administratione Sacramentorum, & Vicarius Parochi qui Sacramenta etiam ad tempus administrat, possuntque tales non solum assistere, sed etiam dare licentiam alteri assistendi, etiam contradicente Episcopo: & Sacerdos cui committitur à Parocho omne quod ad curam Parochi pertinet, potest assistere matrimonio, sine speciali ad id mandato. Sufficit & Parochus toleratus, etiam alioqui excommunicatus, aut suspensus, modo non sit per sententiam priuatus officio: potest ergo talis & assistere, & dare alteri assistendi licentiam.

* De Matrimonio multa multi, praecipue *Couar. in 4. Decr. Pet. à Ledes. Integrum volumē, Thomas Sanchez diligentissime tomos tres satis magnos. Sor. in 4. Val. p. 4. Candel. p. 1. Veracruce in speculo coniug. Bellar. Nau.*

* *Trid. sess. 24. c. 1. & Intellige ibid.*

Sufficiunt 3 modo habeant rationis vsu
Couar. l. c. 1. c. 8. §. 12. Ledes. l. c. 9. 45. ar. 5.

Viri vel 3 *Ledes. l. c. Nau. c. 25. num. 144. vide Sanchez l. 5. d. 19. tit. 1.*

Sacer-

Sacerdos *Sanchez l. c. d. 20.* Clericus sola prima corona insignitus, dum Parochus est, potest assistere, & dare alijs sacerdotibus facultatem assistendi, etiam Regularibus, *Ledes. q. 45. art. 5. ex Congr. Conc.* etiamsi non proferat verba, Ego vos, & vocatus ad alia per dolum. Requiritur autem moralis presentia; ut scilicet sit mentis compos, & advertat. *ex l. Cor. Titio. de rerum, & verborum signific.*

Intelligat *Ledes. l. c.*

Coadiutor *Sanchez l. c. d. 31.*

Sufficit *Ledes. l. c. Navar. conf. 8. de cland. despons. Sanchez l. c. d. 21. nu. 4.* etiamsi non sit toleratus: manet enim in possessione, dum Parochia non priuatur; ob auctoritatem autem eius presentia requiritur. *ibid.* etiamsi interdictus sit Sacramentorum administratione *16. num. 11.*

Et dare *quia non est actus iurisdictionis, quamuis id alij dicunt. 16. num. 7.*

Quamuis Episcopus, aut Synodus Diocesana prohibeat, ne Parochus facultatem alicui det, aut assistat, potest tamen vtrumque facere, quo ad validitatem matrimonij. *Sanchez l. c. d. 32.* Quod si Parochus fide veniam alicui daret assistendi, matrimonium nullum esset. *Ledes. l. c. q. 45. art. 5. pag. 207.*

2 Qui alicubi habitat non animo permanenti, quibusdam non videtur posse sub illo Parocho contrahere: at mihi videtur Cong. Concil.

S

Concil.

Concil. aliud sentire, scilicet sufficere illic habitare dum contrahunt. *Vide Parochus.* Certè vagabundi, qui nullibi habent domicilium, vbiq; possunt contrahere, sicut & confiteri: idemque de illis dicendum, qui priorè domicilio relicto, domicilium quarunt: scilicet, vbi interim habitant, possunt contrahere.

* Si Rus petas animi gratia, & ibi contrahas matrimonium coram illius ruris Parocho, sine licentia, inualidum est matrimonium. *Nau. l. c. conf. 7. de cland. despons.*

Certè } *Sanchez l. c. d. 25.* sed Parochus illos coniungens, diligentia non adhibita, & sine Ordinarij licentia, peccat mortiferè contra præceptum *Trid. ses. 24. c. 7. de refor. id. 16.*

Vbi } *Id. 16. num. 13.*

3 Cum dispensatur in matrimonio inualido, sed cōtracto in facie Ecclesiæ, scilicet vt supra dictum est, sufficit postea sine Parocho, & testibus de nouo consentire coniuges, scientes tamen se posse non consentire: *ex Pio V. Sufficit verò, cùm non expedit sciri ab altero impedimentum, ei persuadere, vt de nouo consentiat, quasi nunc primum contraheret.*

* *Ex Pio V. teste Nau. c. 22. num. 70. Ledes. l. c. pag. 208. ex Cong. Concil.* Quidam dicunt non extare Pij V. declarationem. *Corduba q. 51.* putat necessariam esse Parochi, & testium præsentiam, quando scandalum, infamia,

aut aliud graue malum non imminet, vide Lopez p. 1. c. 85. Sanchez l. 2. d. 37. ait, contrahendum coram Parocho, & testibus, si nullitas illis nota sit, vel si impedimentum probabile sit in externo foro.

Sufficit? Quidam tamen dicunt coniugem impedimenti nescium debere certum reddi de impedimenti nullitate. vide Sanchez l. c. d. 36. nu. 3. vbi non probat Nau. sententiã c. 22. n. 47. & cons. 13. de spons. & Philiar. t. 1. p. l. 2. c. 13.

4 Consensus falsò credentis tenere matrimonium, alioqui non consensuri, non validat matrimonium.

5 Denuntiationes, si esset periculum in mora, posse Parochus postponere ex præsumpta Episcopi voluntate, & quadam tacita commissione. Possunt quidem eã omitti volente Episcopo ex causa.

* Considera Trid. verba sess. 24. c. 1. de refor. Ledes. l. c. pag. 197. alij tamen negant. sed ante consummationem, si omittantur, faciendæ erunt denuntiationes, quas, contracto iam matrimonio, non poterit Parochus, sine Episcopi licentia prætermittere. *ibid.* consummare ante eas m. p. esse alij aiunt, alij negant. vide Sanchez l. 3. dist. 11. nu. 3. Ledes. l. c. pag. 198.

6 Nec benedictionem omittere, nec ante eã consummare matrimonium, est mortale. Quod si fiant hæc sine causa, est veniale.

7 Aetas ad matrimonium in fœmina anni

duodecim completi; in viro quatuordecim, & ante etiam si sint potentes ad copulam simul: sufficit verò dicta ætas, etiam si non possint coire: expectandum verò deinde vsque ad annum decimum octauum, vt iudicetur an sit perpetuum impedimentum.

* *Tol. l. 7 c. 16. nu. 8. Nau. l. c. num. 29. Syl. matrimonium 5. nu. 2. 3.*

Expectandum? *Syl. l. c. num. 7.*

8 Ante dictam ætatem contrahere sine iusta causa, & Episcopi licentia, mortale est: nec matrimonium validum, nisi sint potentes vt dictum est, sed solum sponsalia. *Vide c. 14. de spons. impub.* Nec sequens copula facit matrimonium antea contractum impuberum validum, nisi adsit consensus saltem tacitus vtriusque.

* *Syl. l. c. nu. 6. & mortale? ita Ledes. q. 43. art. 2. q. 3. & Nec sequens? Syl. l. c. nu. 8.*

9 Inter raptorem & raptam etiam alia causa, quam vt vxor ducatur, quamdiu est in potestate raptoris, non potest fieri validum matrimonium. *Ex Conc. Trid. & Congr. Concil.* Requiritur verò vis facta puellæ, vel eius parentibus, sub quorum potestate est ad coitum assequendum. Secus si abducatur sine vi, vel si iam vxorem duxerat, vel de nuptijs tractauerat, & consentiens abducitur, vt ducatur, vel si non transfertur de vno loco ad alium, vel si inscio patris, & illa volente, abducatur.

* *Naua. cap. 25. numer. 74. Concilium loquitur*

tur de muliere, non de sponsa. *V. iual. de matrimo. nume. 103. vide etiam Couar. 2. p. c. 3. §. 9. numer. 1. Tol. l. 7. cap. 13. nume. 3. ex Concil. sess. 24. cap. 6.*

10 Requiritur consensus de presenti verbo, scripto, aut nutibus expressus.

* *Nau. c. 22. num. 30. V. iual. de matrimo. nu.*

34. 38. Couar. l. c. c. 4. nu. 4.

11 Si intentio est de presenti, & ita intelligitur à contrahentibus, etiam si verba sonent futurum, est matrimonium: contra verò, si verba de presenti, & intentio de futuro nō est.

* *Palud. 4. d. 27. q. 2. ar. 4. Sor. 16. q. 1. art. 3. Ledesl. q. 4. ar. col. 3.*

12 Sufficit alterius consensui præcedenti, & non reuocato, alterius consensum accedere, vt fit cū quis contrahit per Procuratorem. Itaque si quis coram Parocho non verè consentit, sufficit si postea consentiat.

* *Nau. c. 22. nu. 80. V. iual. l. c. nu. 42.*

Procuratorem? Per Procuratorem contrahi verum matrimonij sacramentum, certa sententia est, ex Doctoribus, & praxi, ita *D. Th. Sor. Con. Cather. contra Caiet. & alij citati. à Ledesl. q. 42. art. 1.* qui procurator debet habere mandatum speciale non reuocatum, nec potest alium substituere. *Ledesl. l. c. ex c. fin. de procur. l. 6. Couar. l. c. nu. 9.* Procurator ad negotia non potest esse ante annum 17. sed ad matrimonium sufficit, si habeat vsum rationis ad

exprimendum consensum alieno nomine. Sanchez l. 3. d. 41. nu. 8. idem docens de testibus pro matrimonio 16. nu. 5. †

Itaque vide *Navar. c. 22. nu. 76. Sanchez l. 2. de 32. nu. 14.*

13 Credens merito, scilicet ex sufficientibus signis, alteri dicenti se non consensisse, potest cum altero contrahere: non tenetur tamen quis, nec debet credere facile alteri etiam iuranti se non consensisse.

* *Lege Navar. l. c. nu. 77.*

Non tenetur et ex cap. per tuas. de probat. *Le-des. q. 45. art. 5. dub. vlt.* Non consensisse et nisi tales sint coniecturae, ut credere convincatur. *Sot. dist. 22. q. 1. art. 3. Sanchez l. 2. dist. 41. nu. 51.*

14 Mutus potest contrahere, & amens dum habet lucida intervalla.

* Sufficiunt nutus, amentes perpetuo, quia deest consensus, inualide contrahunt. *D. Tho. add. ad tertiã. q. 58. ar. 3. Led. 16. Nav. c. 22. n. 29.*

15 Matrimonium in dubio an sit legitimũ, non dissolvendum, sed secundo contractum irritandum. Nec vni soli iuranti esse impedimentum, post contractum, credendum; semper enim in dubio præsumendum pro matrimonio.

* *Vide Sanchez l. 2. d. 42. nu. 5.*

Nec vni et vide *Menoch. l. 3. de præsumpt. præsumpt. 1. nu. 35. et conf. 385. nu. 20. vol. 4. Sanchez l. 2. d. 45. nu. 14.*

16 Post matrimonium ratum, & non consummatum, potest quis Religionem intrare; eoque proficiente, potest alter cum quo voluerit contrahere. Possit verò Papam in rato dispensare, etsi quidam negant, alij probabilius firmant.

* Val. t. 4. d. 10. q. 1. p. 7. concedunturque duo menses ad deliberaudū. Sanchez l. 2. d. 18. Vid. num. 254.

Possit verò negat Sor. dist. 27. q. 1. art. 4. & communis Theologorum schola, cum Cou. in 4. Decret. p. 2. c. 7 § 4. num. 14. qui addit, affirmantem sententiam, quam sequitur Caiet. Ambros. Cather. Val. l. cap. Bellar. l. c. de Monachis. c. 38. Sanchez l. 2. d. 14. Nau. c. 22 nu. 21. iusta de causa admitti posse, & Paullum Quartum, & Iulium III. dispensasse.

17 Qui consummauit inuitus, an possit Religionem ingredi, non conuenit inter Doctores; mihi melius videntur dicere qui negant, nisi fortè ante bimestre datū ad deliberaudum inuitus esset ab altero coniunge oppressus.

* Quocunque tempore, quocunque casu etiam per vim si matrimonium consummatum sit, non soluitur per professionem. Couar. l. c. c. 7. §. 4. num. 10. Val. l. c. vers. Secum. Sanchez l. 2. dist. 22. nu. 4.

18 Ad consummationem requiritur viri seminatio intra vas, etiamsi id non rumpat.

§ 4

* Val.

* *Val. l. c. d. 10. q. 5. p. 3. vide Matrimonium, de affinitate, Sanchez l. 2. d. 21. quidam tamen putant, semen etiam mulieris debere concurrere.*

19 Si alter coniugum consentiat, & continentiam voueat: vel Religionem ingrediatur, potest alter Religionem ingredi, vel Ordinem accipere. Non debet quidem id fieri sine Episcopi auctoritate, sed sine ea tamen factum tenet. *Vide gl. 27. q. 1. Si vir.*

20 Non potest coniugatus cum altero contrahere, nisi certus de morte coniugis. *Vide e. 19. de sponsa. & mat. & c. 2. de secum. nupt.* Quod si est fama sufficiens, aut probabilia argumēta, excusatur qui facit, fiuntque filij legitimi.

21 In dubio an prior uiuat, non separandum matrimonium: forte enim est mortuus & validum est. Iudicis verò arbitrio relinquitur, an mors prioris satis probetur, ut quis possit secundo contrahere.

* *Lege Sanchez l. 2. d. 41. Nau. c. 22. nu. 56.*

22 Bona fide coniugati non sunt admonendi impediēti à Parocho, vel Confessore, quando probabiliter timeri potest magnum damnum.

* *Adria. 4. de Confess. dub. 7. Nauar. inc. si quis autem, de penit. d. 7. num. 71. Vide omnino Sanchez l. c. dist. 48. sed si ignoret, ignorantia uincibili, mortiferè culpabili, non est dissimulandum, etiamsi magnum timeatur.*

23 Cum

23 Cum præcipitur reuelari impedimentum matrimonij contrahendi, etiam secretum debes reuelare, si non possis aliter impedire (sufficit enim vnus testis ad impediendum) nisi ex reuelatione timeatur magnū scandalum. Quidam tamen putant crimen occultum tacendum. Ego potius dicerem tacendum, si illi bona fide contrahant, impedimentum nescientes: & quidem qui putat nō profuturum, non debet reuelare.

* *Conar. l. c. c. 6. nu. 21. Nau. in c. Sacerd. de pæn. d. 6. nu. 27.*

Quidam } *Io. Maiol. in 4. d. 21. vide Nau. c. 22. num. 83.*

24 Confessio coniugum probat inter eos matrimonium.

25 Contrahere principaliter matrimonium ob pulchritudinem, aut diuitias, nō est mortale, nec cōtrahere inuitis parentibus, si absit scandalum.

* *Nau. c. 22. nu. 79. Sylu. matrimonium. 4. q. 14. Fum. eod. vers. num. 66.*

Nec contrahere? *vide Nau. c. 14. nu. 15.*

26 Corrupta nubens ei, qui si sciret non esse virginem, non eam duceret, nō peccat mortaliter.

27 Compulsus à Iudice, aut alio quopiam habitare cum vxore illegitima, aliò migret.

28 Tenetur vxor virum migrantem sequi, nisi aliud esset inter eos conuentum, & ipse

S. 3. non

non cogere aliquam necessitate migrare, aut nisi insciens vagabundum duxisset, aut si ipse vellet inhonestè vagari, aut cum periculo animæ vel corporis, vel post matrimonium factus esset vagabundus: item secundū quosdam, si esset bannitus; aut excommunicatus, quod non facillè admiserim.

* *C. V. naqueque. 13. q. 2. Nau. c. 14. num. 20. lege Conar. l. c. c. 7. initio num. 5.*

29 Vxor si viro non obedit in re honesta, & magni momenti peccat mortaliter.

* *Nau. l. c. nu. 19.*

30 Vir vxorem potest leuiter verberare causa correctionis, atrociter non potest.

* *Nau. l. c. numer. 18. Sot. l. 5. q. art. 2. Lopez p. 1. cap. 53.*

31 Potest vxor viro bona dissipante prodigè, aut ludis, ea abscondere, & ei negare.

* *Nau. c. 17. num. 154.*

Per matrimonium iura ad beneficia amittuntur, pensiones etiam, quæ laicis à Summo Pontifice non sunt concessæ; & si sponsa ante consummationem in Religione proficitur, non recuperantur beneficia amissa. *Conar. l. c. c. 6. §. 3. num. 5. 6.*

32 In fauorabilibus nomine maritatæ venit etiam sponsa de futuro, & nomine vxoris, quæ contraxit; in odiosis verò solum quæ consummauit.

Ma-